Jul. N°. 19

DE

MARASMO SENILI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. APRILIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS JULIUS OTTO

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

H. GOTHEIN, med. et chir. Dr.

R. WERNER, med. et chir. Dr.

L. HEER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0076

VIRO HUMANISSIMO

FAUTORI HONORATISSIMO

CAROLO SPRINGER,

PRAEFECTO SALTUUM LONGOBILAVIENSIUM SUPERIORI,

AEQUE AC

AVUNCULO

DILECTISSIMO, BENEVOLENTISSIMO

ANTONIO KANERT,

PRAEDII REDEMTORI EQUESTRIS,

NEC MINUS

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

USQUE AD CINERES SUMMA PIETATE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In vasto rerum medicarum ambitu circumspiciens diu haesitavi, quamnam rem tironis viribus exiguis aliqua ex parte respondentem eligerem. Quum autem ante nonnullos menses cum praeceptore, viro de rebus medicis meritissimo, sermonem de morbis senilibus conferrem, auctor is mihi exstitit, ut marasmi senilis retractandi consilium inirem et ad hoc morbi genus, quo me etiam mea quaedam voluntas ferre videretur, animum intenderem. Varia itaque, quae hucusque innotuerunt et in variis libris diariisque dispersa inveniuntur, colligere et componere studui: nam bene sciebam, medicinae tironem dissertationem conscribentem, vix novi quid prioribus placitis adjicere valere: experientia enim propria deficit. Te vero, L. B., oro rogoque, ne in hoc libello judicando severe agere velis, sed ut primitias

meorum studiorum cum ea indulgentia et benevolentia excipias, qua sola sperare mihi licet, studium et voluntatem probatum iri, quibus, cum vires deficerent, in hoc opusculo conscribendo tenebar.

Ita autem in morbo illo tractando versabor, ut primo eum, praeeuntibus optimis scriptoribus et natura ipsa duce, describam: deinde diagnosin, aetiologiam, exitum et prognosin explanem, ac postremo medendi methodum huic aegritudini aptam ac consentaneam exponam.

Ceterum eleganter et nitide ea scribere non potero, quia res medica ipsa vetat: quare si cujusquam hic aures magis vel religiosae vel delicatae offendant, excusationem habebo.

Cap. I.

Omnis vitae cursus in duplicem epocham, in eam incrementi sive evolutionis atque illam decrementi seu involutionis dividi potest. Periodum evolutionis opponimus illi involutionis, inter quas culmen, efflorescentia vitae versatur. Quae aetas multis apparuit ceu longa periodus sine immutatione, atque propterea aetas consistens sive status appellabatur. Aristoteles jam diviserat vitae cursum in juventutem, statum et senectutem. Consistentia autem in natura non reperitur, singulare organon continuo fluxu vel ascendit vel descendit; homo nascitur, ad perfectissimam sui formationem provehitur tumque retrogreditur, donec ad ultimum decrementi punctum, ad mortem perveniat: quare praeferendum esse mihi videtur, illud spatium inter evolutionem et involutionem positum nec aetatem consistentem nec statum, sed efflorescentiam nominare. Quo igitur temporis puncto ad summum et perfectissimum est perventum, eo magnus retroformationis processus il-

lico incipit, eadem per stadia regredieus, per quae formationis processus sursum tetendit. Somatica pars organismi deterior fit et cum ipsa antitypus ejus, organismus virium. Qua ratione corporeum concidit, ea quoque reliqua omnia suum in interitum propendent; aliud systema et organon post aliud pedetentim relabitur; functiones et facultates a naturali suo tenore vehementissime aberrant; intereuntibus genitalibus interit facultas procreandi et collabentibus organis sensuum et cerebri collabitur etiam spiritus. Et revera ne una quidem functio ac facultas deprehenditur, quae non mire prolapsa sit et debilitata. Nervi et vasa, processus alveolaris, testiculi et ovarium saepe omnino dispareunt, organorum alia tabescunt, velut musculi; alia in substantiam prorsus aliam degenerant, videlicet ossificatione aut alia immutatione. Lubricitas, expansio et turgor partium imminuuntur; augetur rigiditas. Ossa fiunt porosiora, fragiliora, abbreviantur resorptione; musculi evadunt tendinosi et debiles (1), membranae vasaque ossea; corrugantur viscera. Inde tabes rugosusque senum adspectus, ingentes cutis plicae sub mento, in mammis et abdomine, sulci et foveae in facie, collo ac membris

(1) Musculorum omnium, ait Haller l. c. summa est debilitas, ut amisso usu domus in cubiculum, inde in lectulum se recipere cogantur, sustinendo corporis impares. Hinc omnia animalia vetula torpida, etiam alacer canis et bellicosus leo.

extremis. Artus incipiunt contremiscere, corpus proceritatem amittit et habitum, contrahitur, dorsum curvatur, femur, genua pedumque articuli inclinantur et formant angulos (1).

Et hoc est temporis spatium, quo morbus noster vulgo oriri solet; quamquam etiam in vitae efflorescentia, ut infra exponere conabimur, ille status non raro invenitur. —

Temporibus praeteritis, praesertim illis, ubi florebat systema Brownianum, de voce marasmi petulanter agebatur. Omne mortis genus, ubi etiam processus praierat non morbosus, ubi vita sine organorum mutatione quasi necessaria vitae sequela, finis processus vitalis sine laesione organi cujuspiam vel systematis, exstinguebatur, nomine marasmi senilis insigniri solebat. Semper vero laesio, mutatio organi vel systematis alicujus demonstrari potest: internum quidem momentum in aetate provectiore situm est, sed eadem non est mortis caussa proxima, quippe tantum efficit, ut organi massa mutetur. Sic senes morbis characteris asthenici et cachectici, ossificationibus arteriarum, cordis, apoplexia, paralysi, asthmate tum sicco tum humido, sphacelo, scirrho intereunt; et hi omnes et multi alii morbi, aetatem provectiorem concomitantes, a medicis illo-

(1) Redeunt in se ipsos senes, et statura minuitur atque spina antrorsum inclinat et ossa paene pollice breviora et artus undique minores fiunt. Haller Elem. physiol. l. 1.

rum temporum nominabantur »marasmus.« Ex eorum opinione nil est aliud marasmus, quam decrementum ipsum et ab ipso non diversum, successivum occidium vitae, non vegetativae solum, sed et animalis, quod successione evolutionum, decurrente vita, normae ergo conformiter, provocetur. — Galenus (1) dicit, marasmum, sit liceat diuturnus morbus, ad nosologiam non spectare, quoniam normalis sit, sed ad physiologiam, cujus sit, non tantum primi, sed et alterius vitae dimidii evolutiones docere et moderari. — Qua in re Hovenius (2) praeter alios consentit. — Sic Malfatti marasmum vocat morbum constitutioni senili convenientem, morbum, qui valetudini sit finitimus, quod tantum morte sanetur, sicut omnes alios in se recipiat. Henke marasmum senilem perhibet sensim progredientem tabem et exstinctionem vitae vegetabilis, animalis et humanae in organismo humano, et eum appellat statum normalem.

Quae vero vis alia in his marasmi definitionibus inest, atque ejus aequatio cum mutationibus omnibus, quas involutionis periodus secum fert? Morbi

---

(1) Galenus de marasmo C. IV. et de sanit. tuenda L. V. C. IV.

(2) Cf. ejusd. Handbuch der practischen Heilkunde Bd. II. §. 187. "Die Auszehrung der Alten (Marasm. senil.), ait iste vir, ist keine eigentliche Krankheit, sie ist die natürliche Folge des Alters und daher vielmehr Gegenstand der Physiologie als der Pathologie."

senii plurimi comprehenderentur hac non satis determinata definitione. Naturalis senii mors sine declinatione organorum a statu normali non invenitur et valde distinctae sunt conditiones, quae aetatem organismi senilis evertunt.

Illam vocem finibus inclusisse, inprimis illustrissimo Schoenlein debetur laus; rei nondum satis cognitae attulit lumen, ita sub marasmo ille tantum status morbosus, ubi labes organismi universi proficiscatur ex systemate chylopoëseos, intelligatur. Sicuti in asthmate senili atrophia ex pulmonibus et in hydrocephalo senili e cerebro oritur, sic in morbo nostro ex systemate chylopoëtico, e ventriculo.

Cap. II.

In hominibus marasmo senili afflictis observantur symptomata haecce: appetitus ciborum eorumque concoctio imminuta sunt et depressa ob ventriculi vires remissas; lingua tamen pura nec muco obtecta, interdum e rubro candicans et sicca; paululum tantum alimentorum assumere et plurimum quidem magis fluidorum quam solidorum possunt. Aegroti accusant cardialgiam nec raro evomunt res, quas capiunt, integras. Regio ventriculi atque abdomen est molle, non tumefactum et initio plerumque doloris expers. Functiones ferme omnes, item etiam excretiones admodum male tardeque procedunt, ex-

cretaque a propria sua indole et habitu valde aliena reperiuntur. Excretio alvi imminuta hujusque molesta segnities, imo obstipatio ad multos dies succedit, donec plena faeces excernendi impotentia sequitur. De urina idem. Transpiratio insensibilis, cujus tanta est ad corporis incolumitatem tuendam potestas, mirifice, ut ex arida cute facile potest colligi, est oppressa. Pulsus arteriarum sunt parvi, tardi, debiles et vacui, ne multa, conditione miserabili; infracta est enim cordis, gravissimi illius instrumenti et totius quasi corporis rectoris vis et actio. Aegrotus modo frigore modo ardore vexatur. Planta pedis et vola manus ardent, in genis posita est rubedo circumscripta. Somnus idoneus deficit, accedunt vigiliae, quamquam interdum aegroti permultum dormire dicuntur (1). Postremo, ad summum scilicet gradum malo evecto, existit febris hectica, superstitem vitae vim et corporis laticem plane exhauriens ac mortem denique adducens. Sub his symptomatibus vires conficiuntur et residuum vitae ultimum exstinguitur, sicut flammula languida lucernae non amplius oleo nutritae. Interdum, parte vitae nutritivae labente, irritabilitas systematis nervo-

(6) Tic Haller enarrat, Moivre, suum in academia scientiarum antecessorem, annos LXXXVIII vixisse, et ultimo anno die quoque XX. horas dormiisse, adeoque tantum quatuor vigilasse dormientemque vivere desiisse.

rum et psyches in ultima periodo mirabiliter augetur.

Ejusmodi senes sunt morosi, sensibiles, iracundi, sibimet ipsis et proximis oneri. In quo etiam profertur lapsus energiae mentis et animi sibi constantis firmique, quod attinet universam vitae regionem; senex sui ipsius imperio minus obsequitur et facile omnibus externis afficitur et regitur. Cerebri — solis corporis — facultas sensim imminuitur, at pari passu emoritur identitas unitatis et universalitatis, personalitatis et idearum. Rursus obdormiscimus. Non amplius nobis et mundo consentimus. Nobis ita animo est, quasi non satis simus somno recreati, quasi nebulae nos pessumdent, quasi cerebro et capite simus instricti.

Sed haec hactenus de imagine ex marasmo senili laborantium, quippe quae nobis luculentissime aberrationem a statu pristino et ad interitum properationem ostendat.

Post mortem invenitur ventriculi volumen, ut omnino in marasmo, valde contabuisse, saepe tantum ambitu intestini duodeni. Vulgo ventriculus ad illum gradum coarctatus est, ut vix pomum, imo ovum in se capere possit. Dum in marasmo infantili ejusdem tunicae sunt tenuissimae, emollitae, in senili contrarium observatur: tunicae sunt contractae, solidae. Nonnulli quidem contendunt, eas esse etiam interdum tenuatas; tenuatio tamen vulgo

contrarium statum, scilicet dilatationem atonicam cavi ventriculi secum fert. Saepe tunicae sunt complures digitos densae; tunica cellulosa et fibrosa nonnunquam cartilagineae indolis. Etiam mucosa in singulis casibus emollita esse dicitur. In individuis, praecipue in iis, qui novissimis temporibus dolores in regione ventriculi perpessi sunt et vomitus habuerunt, tunicam mucosam rubefactam invenimus: saepe submoveri potest aeque ac in illis, qui morte per famem consequuta perierunt: quod autore Hunter ex solutione tunicae ventriculi mucosae, tanquam se ipsum ventriculus concoquere studuisset, oriri traditur. Quae quidem symptomata rarius observantur atque etiam varietatem in tractando postulant. —

De marasmi senilis cognitione nil paene dicendum, quum haec affectio in sensus incurrat. Diagnosis igitur est facilis. Tantum vero monendum est, illum mutari posse cum carcinomate vel ventriculi fungo medullari, qui etiam provectioris modo aetatis esse videtur. Ab initio tamen major minorve dolor aegrotum vexat, tam sponte quam ex impressione exortus; vomitus est crebrior et constantior, cibi vomitione redditi propriae sunt qualitatis, mali odoris, relinquunt massam sedimento potus e fabis coffeae cocti similem, quod idem non raro in alvi excretionibus observatur; continens pyrosis, cardialgia adest propter tunicae mucosae des-

organisationem. Praeterea in illo ventriculi fungo medullari diarrhoea, in marasmo senili autem alvi obstructio praevalet.

Singula mala, quae videantur praecipue senibus vere decrepitis familiares esse et marasmum adeo senilem semper paene concomitari, persequi eorumque cum marasmo senili arctissimum nexum demonstrare, vetat hujus libelli circumscriptio: itaque statim ad caussas morbi nostri investigandas accedamus.

Cap. III.

Possunt marasmi senilis duae species constitui. Alter ipsa aetatis longinquitate et cum ea conjuncta defectione virium vitalium, praesertim in systemate chylopoëseos adducitur. Alter praemature aut casibus fortuitis, aut morborum saevitia, eorum neglectione et perversis curationibus, aut denique plane inordinato vitae usu omnis generis invehitur. Quem beat. Hufeland nuncupat marasmum senilem factitium.

Veteres, imprimis Stoici, Plutarcho teste, marasmum a caloris defectu derivarunt. Qua opinione etiam Aristoteles(1) ducebatur. Galenus(2) vitium cordis esse caussam putabat. Eadem in opi-

(1) Lib. de respir. Cap. 17, lib. de senectute Cap. 4.
(2) Lib. de marasmo Cap. 1.

nione fuit Aretaeus, veteresque Aegyptii arbitrati sunt, cor quotannis primo vitae dimidio ad unciae quadrantem augeri, minui vero tantumdem posteriore. Nonnulli marasmi veram caussam in quibusdam proprietatibus conditionibusque corporis humani quaerentes, quum animadvertissent, illius corporis partes solidas progrediente aetate magis magisque rigescere, istam praecipue in nimis aucta harum partium rigiditate posuerunt. Sic J. Osterd. Schacht in oratione inaugurali, qua senile fatum in evitabili necessitate ex humani corporis mechanismo sequi demonstratur. Haller malum derivat a firmis partibus frictione detritis, id quod modo humorum circuitu, modo musculorum motu fiat. In elem. physiol. enim ait: »causa destructionis est in perpetua extensione et retractione, quae fit in singulo pulsu, centies millies intra singulos dies, quo motu etiam metalla adteruntur; deinde a frictione partium fluidarum ad consistentes etc.« Gaubius quoque, praeteriti temporis pathologus acutissimus, ejusdem sententiae est, ut sequentia ejus verba satis probant: »senectus, morbus naturalis, solidorum siccitate, feculenta humorum inertia, vi vitae fatiscente mortem naturalem necessario inducit.« Sömmering opinioni a Wathson prolatae, ex qua oriatur marasmus obstructione ductus thoracici, contradixit. Secundum Sundelin nascitur marasmus ex defectu vitalis energiae in systemate arteriarum,

in quarum finibus plastica materies deponitur, ex successivo hujus factoris propriae reproductionis interitu. Alii rationem marasmi in vasis clausis, in durescente vasorum lymphaticorum systemate quaesierunt. — Si autem marasmus vere oriri debet, interna momenta non sufficiunt, sed etiam externa requiruntur: inimicus impulsus in digestionis organa, dum ventriculus, praesertim iterum ac saepius, obruitur cibis. Saepe effici marasmum Schoenlein dicit rationibus medendi valde exhaurientibus, cura antiphlogistica, venaesectionibus et salibus mediis adhibitis, curatione per inediam, salivationem et mercurium; cujusmodi medicamina provectiori aetati tantum impedimenti afferunt, ut quidem morbus ipse iis sanetur, sed etiam marasmus adducatur. Merito igitur ille vir illustrissimus his medicamentis sapienter uti, nec inprimis salia media tamdiu, quam possibile, in usum vocare monet: nam nihil digestionem magis impedire et omnia abdominis viscera debilitare potest, quam usus purgantium longius protractus ac saepius repetitus. —

Aetatis, ut jam supra diximus, non solum provectioris est marasmus, sed etiam praematuri senii, cujus causa illi opposita esse potest, quod longaevitatis mater est. Sic hodie saepe videmus senes triginta annorum omnibus veri senii characteribus praeditos: pili, colore amisso, albescunt, canescunt, excidunt; rigore, siccitate, inutilitate artuum, debili-

tate sensuum et omnium functionum tam nobiliorum quam inferiorum. Feminae atrophia ventriculi saepius afficiuntur quam viri. In illis jam ventriculus in normali statu longior est et forma intestino magis simili, quam in his. Illa etiam alteratio gigni potest eo, quod epigastrium sexus sequioris, linteo thoracem coërcentis, per totam vitam comprimitur. Mulieres, quae mature, ubi pubertas nondum perfecta erat, ad labores graviores impellebantur, quae mature et saepenumero liberos pariebant, jam incipiente decennio quarto vel prius marasmo senili subjectae videntur: ut omnino illi homines, qui magnos corporis labores, nec minus intentiones animi nimias et continuas subierunt. Continua tristitia et sollicitudo, melancholia, nocivae aëris constitutiones, fortuiti atque violenti morbi omnis generis, atque inprimis perniciosi et principium vitae graviter afficientes et naturalem humorum omnisque materiae animalis mixtionem indolemque insigniter commutantes; haemorrhagia chronica, blennorrhoea, diarrhoea, jactura seminis, salivae, sudores, nimii excessus in venere et onania, abusus potus spirituosi, opii, ciborum salinorum, ne multa, vita sollicita, periculorum plena, omnibus flagitiis dedita, statum illum morbosum praemature afferre possunt: ita ut homo jam in tempore dimidio, imo etiam maturius, aetatem, quae a natura ad vivendum est constituta, triverit. —

Marasmus igitur senilis principio tantum habet locum suum in organo uno, unde tum se extendit sub conditionibus quibusdam. Eadem ratione, qua in tabe dorsali atrophia a cauda equina, in atrophia lactantium a canali intestinali exit, marasmus senilis atrophiae ventriculi debet originem. De immutationibus, quae in ventriculo ipso spectantur, jam supra diximus. Ejus functio primo includitur, paullatim exstinguitur. Inquisitione dignum est, quales mutationes qualitas productorum secretionis ventriculi atrophici, pariter ac omnino organorum atrophicorum ineat; verisimile quidem est, ut secreta qualitative mutentur eodem modo, quo eorum quantitas minuitur. Attamen hac de re nihil certi scimus.

Febri adveniente atrophia ventriculi ad reliquum organismum transfertur. Febris, quae semper hectica, plurimum initio typum intermittentem induit, horis vespertinis apparet horripilatio, quam sequitur calor; sed mox cum hoc paroxysmo vespertino conjungitur alius matutinus, donec invicem sibi adpropinquet uterque, ita ut typus intermittens in remittentem transeat.

Cap. IV.

De exitu non multum dicendum est. Marasmus enim adducit hominem inevitabili modo ad mortem; vita tamen aegrotanti saepe complures per

annos produci potest. Certum anni tempus iis necem intendere videtur; plurimi enim illo morbo afflicti moriuntur autumno extremo et plerumque tempore nocturno. Aliquid simile observarunt medici etiam in aliis marasmi formis. Morbus saepe lentissime decurrit. Postremo malum fit eo lethale, quod aut febris tabificia aut hydrops accedit.

Prognosis est pessima, quoniam ille morbus radicitus sanari non potest et arti humanae solum conceditur, ejus vim frangere, aegri miserias minuere et vitam quamvis miseram de die in diem extendere. Prognosis in singulis casibus pendet inde, num aetas jam valde provecta sit, quamquam juniores homines saepe celerius interiisse quam seniores a multis confirmatur; tum ab gradu, in quo turbata sunt digestionis organa, ab vomitu et ab aliis symptomatibus. Pejorem vero ponimus, si adsunt symptomata, quae tunicam ventriculi mucosam esse inflammatam indicant, si vomitu reddita acerrimo sunt gustu et dentes hebetant; pessimam autem, ubi typus febris intermittens paroxysmis gravibus in remittentem transierit, ubi hydrops accesserit.

Cap. V.

Hic non agemus de morbo sanando, sed tantum de modo, quo ars ejusmodi senibus succurrat, eorumque molestias leniat atque mitiget. Quemad-

modum in omnium omnino morborum curatione praecipue est providendum, ut caussae, a quibus illi sint profecti, arceantur ac propulsentur: ita quoque in marasmi tractandi ratione quam maxime hoc necessarium est, ut caussae, quibus quidem ista affectio suam debet originem, quantum fieri potest, depellantur. Omnis curatio igitur eo tendat, ut quodvis inutile virium vitalium dispendium praecaveatur, ut vitae rationem et diaetam instituamus, qua vires erigantur et reficiantur. Auxilia, quibus medicus his indicationibus satisfaciat, nunc exponemus. —

Status hujus affectionis temperaturam caloris externi majorem exigit. Justum gradum efficacissimi illius stimuli ad excitandam virtutem vitalem multum valere sponte patet. Summa semper aëris puritas servetur; quae aëres mephiticos et vapores noxios eructant, aut oxygenium absorbent, ut fermentantia et putrescentia, omnia idcirco ex aegri vicinia removenda; aëri econtra ex regione sicca, lucida, ex campis virentibus liber per fenestras et januas apertas, per ventilatores concedendus est aditus. Multum valet aëris temperati aprici, nec vero frigidi aut humidi haustus. Aeger solis radiis se exponere debet; calorem circa ipsum intendimus. Inprimis frigidioris climatis cum calidiore mutatio salubris est; igitur itinera in regionem australem

utilitatem magnam praebent. Piso prae ceteris Brasiliam laudat (1).

Victum ciborum medicus adaptet non solum vitae universae indoli, sed etiam, qua aeger gaudet, facultati digestionis. Alimenta, quae capiunt patientes, partim calore externo fota sint, partim ipsa excitandi vi plenissima, modice condita, eupepta, simplicia: constent e jusculis, carne cochlearum ostreae edulis, jusculis cum conchis praeparatis, carne ovis, animalium juniorum minus pinguium, vitulina, agnina, gallinacea, cibis farinaceis et pane bono. Cibos, quos nominant solidos, difficilis concoctu atque flatulentos omni studio fugiant. Quo magis digestio languet, eo minor illorum portio; tantum eorum sumatur, ut reficiantur vires, non opprimantur. Tempus edendi solitum non sequatur aegrotus, sed vescatur, si fames urget, minore tamen portione.

Quod ad potum pertinet, vinum cum aqua praesertim Selterana mixtum convenit, optime Madeira, Malaga, Xeres, Pedro Ximenes, ne multa, vinum quodvis, quod nihil in se habeat acoris. Vinum enim est senibus idem ac infantibus lac, quippe quum digestioni faveat, corpus roboret, animumque exhilaret. Sed dolendum est, paucorum tantum

(1) Vid. de Indiae utriusque re nat. et med. L. I. pag. 12. Amstelodami 1658.

cellas ejusmodi nutrimenta praebere. Etiam lac senibus commendatum, ut quo coeperint, eo desinant; raro autem convenit. Prodest et cerevisia bona, anglicana, Porter vocata.

Senes bene vestiti sint, rite calefacta eorum cubicula, lecti cubiculares bene comparati. Nec motus muscularis minorem attentionem meretur. Senes, quatenus eorum vires permittunt, corporis motionem neutiquam debent negligere: siquidem hac ratione tum transpiratio insensibilis, tum excretio alvina et urinae mirifice juvatur. Motus vero sit brevis, sine sudore, passivus magis quam activus. Itinera commoda, in curru vel equo ad mensuram virium instituantur. Postremo tempore frictiones solae sufficiunt. Senex desidiae se non totum dedat, sed tam operosus tantum sit, quam ad incitationem vitae requiritur: ne agat vitam nostratium feneratorum. Denique assueto vitae ordini quibuscunque sub adjunctis insistatur. Extraordinariae res evitentur. Saepissime enim senes, festum jubilaeum celebrantes, curae sic dictae gratulatoriae non plures dies supervixere (1).

---

(1) Audias hac de re beat. Hufeland sic disserentem: „Zum Erstaunen ist es oft, wie sich die grösste Altersschwäche noch immer einige Zeit erhält, wenn nur Alles in seiner gewohnten Ordnung und Folge bleibt. Der geistige Mensch ist wirklich zuweilen schon gestorben, aber die vegetative Menschenpflanze lebt noch einige Zeit fort; wozu freilich weit weniger gehört.

Firmarum partium rigori, perpetuo increscenti et altiores quasi radices agenti, obvenimus balneis et frictionibus. Balnea tepida egregie conveniunt, praesertim horis matutinis: majorem autem utilitatem suppeditant, si aquam ad balneum adhibueris mixtam aromaticis rebus, quia hoc modo illa materies quasi animatur et efficacior redditur. Huic fini cortex coriarius, alcohol, vinum, furfur, far tostum, sapo impendi possunt. Balneis frictiones leves saepiusque repetendas corporis, sicut inunctionem regionis ventriculi et tergi spiritu lavendulae, unguento nervino, aqua colonensi, pinguibus oleis absolvendam addo.

Aquas medicatas, Pyrmont, Gastein, Schlangenbad ad Rhenum, Schwalbach et alias, in usum vocare non est negligendum, quarum ope saepe virtus vitalis admodum imminuta sollicitatur et erigitur.

Quemadmodum animi moerores marasmum augere, si non ipsi producere valent, ita animi senilis exhilarationes illum minuunt et caducas vitae vires erigunt. Hic magna musicae virtus in usum trahenda, quae non solum auditus organon grate afficit, sed animo quoque tranquillitatem aut serenitatem et vim reddit. Solitudinis fuga, sensuum externorum grata occupatio, consortium cum amicis

---

Diese Lebensgewohnheit verursacht auch, dass der Mensch, je alter er wird, desto lieber lebt." Cf. Hufeland's Makrobiotik T. II. pag. 289.

et rationis usus, morum et religionis praesidia in auxilium vocanda sunt. Appetitus minutus aut plane dejectus revocatur et reficitur extractis amaris, rebus aromaticis, aqua melissae, cinnamomi, infuso calami aromatici. Quae tamen medicamina stomachum roborantia providenter administrentur, quod perfacile supra modum stimulare possunt. Quare piper, zingiber, sinapis, calamus, tinctura chinae composita cum intermissionibus et dosi parva dentur. Momenta proxima nos docent, num chinae, alicenis islandici, quassiae, caryophyllatae, calami adhibitio prodesse valeat. Debilitas fugax tollenda est liquoribus olfactoriis, inunctionibus in spinam dorsi et in scrobiculum cordis aromaticis, infusis menthae piperitae et valerianae cum nonnullis guttis liquoris anodyni vel aetheris.

Ad finem dissertationis perveniens, tantum nonnulla historice referam, quae de halitu et evaporatione juniorum personarum hic dicenda sunt. Antiquissimis jam temporibus credebatur, a corpore vivente partem vis vitalis in aliud posse transferri. Ex qua persuasione illa cura oriebatur, cui nomen Gerocomicae et quae eo nititur, ut senes decrepiti halitu et evaporatione juniorum hominum efflorescentium denuo juvenescant. Davidi jam regi, ut in bibliis sacris (1) legimus, suasisse dicuntur ejus

(1) Lib. reg. I. Cap. I. v. 1 — 4.

familiares vel medici, ut vires lapsas et calorem corporis perditum, dormiens longius tempus cum ancilla efflorescente, reficeret. Posterioribus temporibus medici, quum animadvertissent, vires juvenum cum senibus condormientium manifesto debilitari et flaccescere, senes contra magis vigere, magna cum utilitate hac tractandi ratione ad sanandos homines decrepitos uti coeperunt (1). Sic Boerhave consulem senem Amstelodami, intra duos juvenes dormire jussum, evidenter hilaritatem vigoremque recuperasse narrat. Ac merito illa severitas, qua juveniles vires attenuantur, prorsus evanuit.

Simili modo veteres insolatione ad vitam prolongandam utebantur (2), ad cujusmodi finem celeberrimus C. L. Hoffmann, senex factus, ad vesperam corpus suum contegi calefacta arena fluviatili jubebat. Et profecto, si perscrutamur, quid halitus recenter incisorum animalium in artus debilitatos, quid animalia viventia in locos corporis dolore affectos imposita valeant, haec insolatio non rejicienda videtur. Verisimile est, illa in idea consistere magnum pretium, quod Graeci et Romani inspirationi spiritus validi constituebant.

---

(1) Galen., method. medendi Lib. VIII. Cap. 7.
(2) Horat. Epist. I, 20, 24.

LITERATURA.

De Fischer, de senio ejusque gradibus et morbis. Erf. 1754.

J. Ch. Reil, Archiv für die Physiologie. Bd. IX. Heft I. 1809.

A. M. Drechsler, atrophiae infantum et marasmi senilis expositio et comparatio. Lipsiae 1810.

S. G. Vogel, diagnostische Untersuchungen. Bd. II.

Casper's Wochenschrift für die gesammte Heilkunde. 1842. No. 37.

J. L. Schoenlein, allgemeine und specielle Therapie. St. Gallen 1841. Bd. 1.

C. Canstatt, die Krankheiten des höheren Alters und ihre Heilung. Bd. 2.

VITA.

Ego Ernestus Julius Otto, fidei addictus evangelicae, natus sum d. X. m. Maji anni h. s. XVII. Dobraviae, vico apud Oppoliam, Silesiae superioris oppidum sito, patre Ernesto et matre Julia e gente Kanert, quos ut Deus maximus perdiu incolumes mihi servare velit, in dies precor. Primis literarum elementis Nimitii in schola privata superintendentis Bock, viri doctissimi atque maxime reverendi, cujus memoriam grato semper animo recolo, imbutus, gymnasium Fridericanum Vratislaviense petii, ubi per sex annos literis incubui. Paschali anni XXXIX. tempore, maturitatis testimonio instructus, almam literarum universitatem Vratislaviae adii et ab Ill. Otto, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Purkinje, t. t. decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen dedi. Semestri aestivo a. XLII. Vratislavia relicta, Berolinensem musarum sedem celeberrimam petii ibique Ill. Dieterici, penes quem illo tempore fasces academici erant,

et Ill. Juengken, t. t. Decanus maxime spectabilis, civibus academicis me adscripserunt.

Per quadriennium audivi scholas hasce:

I. Philosophicas:

Mineralogiam apud Ill. Glocker, botanicen generalem et plantas officinales apud Ill. Goeppert, zoologiam apud Ill. Gravenhorst, chemiam apud Ill. Mitscherlich, physicen apud Ill. Pohl, logicen et psychologiam apud Ill. Thilo.

II. Medicas:

Anatomiam comparatam apud Ill. Barkow, chirurgiam, de fasciis rite applicandis et de instrumentis chirurgicis apud Ill. Benedict, therapiam generalem apud Cel. Eck, encyclopaediam ac hodegeticen medicinae et pathologiam generalem apud Ill. Henschel, historiam medicinae apud Ill. Hecker, de morbis syphil. et cutaneis apud Exp. Isensee, materiam medicam, politiam medicam et medicinam forensem apud Ill. Klose, artem obstetriciam cum theoreticam tum practicam apud Ill. Kluge, anatomiam corporis humani, historiam foetus et methodum sectionum forensium rite instituendarum apud Ill. Otto, physiologiam et psychologiam physiologicam apud Ill. Purkinje, de arte formulas medicas rite concinnandi apud Ill. Remer sen., de morbis syphil. apud Cel. Remer jun., therapiam specialem et morbos psychicos apud Ill. Wendt.

In theatro anatomico per duo semestria hiemalia Ill. Otto, in clinicis tam medico quam chirurgico atque obstetricio Ill. et Cel. Benedict, Jueng-

ken, Remer, Schoenlein, Wolff duces mihi fuerunt.

Omnibus viris, quorum praelectionibus interfui, illustrissimis, celeberrimis, experientissimis, grates, quas ipsis summas debeo, hic publice profiteor, eorumque discipulum me fuisse semper gloriabor. Quamvis denique fausta et prospera iisdem viris eximiis ex animo candidissimo voveo, enixe orans, ut et suo me favore in posterum prosequi non dedignentur.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine, auspiciis Ill. Joan. Mueller, ejus ordinis t. t. decani spectatissimi, rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Quo major medicamentorum contra morbum copia, eo difficilior ejus medela.
2. Si quid movendum, move.
3. Sine menstruis nulla conceptio.
4. Diaeta ac vitae agendae ratio in universum summa sunt corporis sani servandi medicamina.